

probatur plerisque illud Flaviani, quamvis coram Deo innocenter egerit, quod putaret, nec adeo invitum, nec adeo ignarum ritus fore Macedonium. *Secundo* ita, ut ex sola humilitate, et in sacros ordines reverentia hos refugiat; nec nisi precibus, vel imperio, hortationibus impellatur, et tandem intus consentiat, de quo genere Augustin. epist. 173. (al. 204.) ad Donatum ait: *Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Hæc ordinatio est valida, quia tales consentiunt, licet victi precibus et minis. Et sic se res habuit in ordinatione Pauliani; nam, ut ait Epiph. epist. cit. in ordinationem consensit: *valde obnitebatur, indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum et persuadere potuimus testimonii Scripturarum, etc.* ergo reipsa persuaserat Pauliano, isque consenserat. Sic explicat ordinationem Bassiani, qui epist. ad Valentinum et Marcianum imperatores, quæ habetur Act. 41. Concil. Chalcedonensis, ait se jussu Memnonis plagis fuisse compulsus ad recipiendam ordinationem: (Labb. t. 4. p. 668. D.) *Ego autem non acquiescebam, ab hora tertia usque ad sextam me plagis afflixit, et sanctum Evangelium, et altare sanguine est impletum, etc.* sed tandem victus consensit. Sic quoque ait Cyprian. epist. 52. ad Antonian. de ordinatione Cornelli in Romanum Pontificem: *ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet; nihilominus consentiendo.* Eadem est responsio ad facta similia. De cæteris dispositionibus requisitis ex parte subjecti satis agitur in Theologia morali.

ARTICULUS XI.

DE CONTINENTIA SACRIS ORDINIBUS ANNEXA.

183. *Nota.* Quænam sint clericorum officia, ea ex assignatis materiis et formis singulorum ordinum satis patent. Hic de eorum obligationibus agitur. De harum plerisque, ut recitatione horarum canonicarum, ferenda tonsura et habitu clericali, ac aliis spectantibus vitam et honestatem clericorum tractat Theologia moralis; unde hic loquemur solum de obligatione servandæ continentie.

Circa clericos minores videtur olim fuisse in Ecclesia quædam disciplinae varietas; nam Carthaginense V. c. 3. anno 398. postquam sacros ministros obstrinxisset ad continentie observantiam, de minoribus ait (Labb. t. 2. p. 1215.) : *Cæteros autem ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesie consuetudinem observari debere.* Prius vero Carthaginense III. can. 19. sic statuerat (Labb. t. 2. p. 4070. B.) : *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis advenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* In Concilio etiam Eliberitano anno 305. can. 33. (Labb. t. 4. p. 974. C.) æquali modo continentia clericis cæteris, quo constitutis in sacris, sive majoribus ordinibus imponitur. Sed ea varietas tandem ita finem accepit, ut possint, si voluerint uxores ducere, dummodo ab officio excluderentur, ut statuit Alexander III. c. 3. de Clericis conjug. et Innocent. III. c. 7. quod hodie etiam servari videmus.

Restat igitur quæstio de ordinibus sacris, sive majoribus, eaque multi-

plex: 1^a. An iis annexa sit obligatio servandi continentiam? 2^a. Quo jure; an divino, an ecclesiastico? 3^a. An, si ex jure ecclesiastico, hæc obligatio oriatur immediate ex lege, an ex voto? 4^a. An Ecclesia continentiam sacris ordinibus recte et convenienter adjunxit? 5^a. A quo tempore adjuncta fuerit, et an etiam olim in Ecclesia græca?

184. *Dico I.* In Ecclesia latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, hoc est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad perpetuam tenentur continentiam, adeo ut ordine sacro suscepto nec possint contrahere matrimonium, nec matrimonio uti, si quod ante susceptionem sacri ordinis contraxerint.

Prob. Ex Trid. quod Sess. 24. can. 9. sic definit: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit.* Idem ante Trid. Innocentius II. c. *Ut lex*, Caus. 27. q. 1. statuerat declarans hujusmodi copulationem, quam contra legem ecclesiasticam constat esse contractam, non esse matrimonium. Et Callixtus II. innuit c. *Presbyteris*, Dist. 27. Alexander III. vero c. *Conjugatus*, de Convers. Conjug. absolute prohibet quemquam conjugatorum promoveri ad sacros ordines, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Hinc lex continentie in Ecclesia occidentali tria exigit: primum; ne conjugatus initietur, nisi voveat uxor perpetuam continentiam. Secundum; ut sacris initiatus uxorem non ducat, quam etiam invalide duceret. Tertium; ut abstineat omnibus actibus venereis, etiam cum conjugate, si quam ante duxisset.

185. *Dico II.* Obligatio, quam habent majores clerici, servandi continentiam, non est ex jure nature, nec ex jure divino; sed solum ex jure ecclesiastico. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 11. Theologi satis communiter.

Prob. Primo enim matrimonii usus ex se non pugnat cum sacro ordine, ut patet ex Græcis, qui ex dispensatione Ecclesie licite utuntur matrimonio ante susceptionem sacri ordinis contracto, ut liquet ex c. *Aliter*, Dist. 34. Corr. Rom. et Concilio Florentino, in quo nemo id Græcis objecit. Concilium Ancyranum vero potestatem uxorem ducendi fecit diaconis iis, qui in ordinatione protestabantur se continentiam servare non posse. Atqui hæc omnia non subsisterent, si obligatio servandæ continentie descenderet ex jure nature, vel divino.

Deinde tale jus divinum nequit assignari sive scriptum, sive traditum; si quis enim locus Scripturæ proferri possit, is ad summum ostendit continentiam clericis esse congruam, non imperatam. Talis est 2. ad Tim. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Vel dum idem Apostolus Titum hortatur ad continentiam cap. 4. *Oportet Episcopum sobrium esse, justum, sanctum et continentem, etc.*: item Timotheum 4. ad eumd. 5. *Te ipsum castum custodi, sumit continentiam pro abstinentia ab omni illicita voluptate, quæ utique juris divini est, sicut abstinentia ab omni intemperantia et injustitia, iracundia, etc. quæ hic Apostolus conjungit; illaque continentia conjugatis et solutis æque præcepta est. Non vero intelligit continentiam ab uxoribus. Et ratio est, quia sic 1. ad Tim. 4. eum vult esse exemplum fidelium in charitate, in fide, in castitate; at certe non ita, ut*

ejus exemplo fideles ab uxoribus sive ductis, sive ducendis absterneant. Sic 2. Pet. 1. jubet Petrus omnes fideles dare operam continentiae, certe non eo sensu, ut ab uxoribus absterneant, sed illicitis voluptatibus; nam et sua matrimonio est castitas et continentia. Porro et maxime, quia nihilominus idem Apostolus 1. ad Tim. 3. inter alia vult esse Episcopum *habentem filios subditos cum omni castitate, qui domui suae bene praesesse noverit*. Non igitur repugnat etiam jure divino conjugalium status sacro ordini.

Prob 3^a. pars. Quia hoc clare supponit Trid. dum Sess. 24. can. 9. dicit anathema ei, qui dixerit valere matrimonium post susceptos sacros ordines contractum, *non obstante lege ecclesiastica vel voto*. Deinde Innocent. II. c. *Ut lex* cit. concl. 1. dum ait nullum esse matrimonium post sacros ordines contractum, quia constat esse *contra legem ecclesiasticam*. Item hoc formulae aliorum Pontificum indicant, ut Callixti II. c. *Presbyteris*, dum ait: Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis contrahere matrimonia penitus *interdicimus*, contracta quoque disjungi *judicamus*.

186. *Dico III.* Probabilis est obligationem continentiae in majoribus clericis esse immediate ex voto.

Prob. Greg. L. 1. epist. 42. relatus c. *Ante*, Dist. 31. praecipit Episcopis; ut nullum facere subdiaconum praesumant, *nisi, qui se victurum caste promiserit*. Et in Pontif. Rom. jubetur Episcopus ante ordinationem quaerere ex ordinandis, an continentiam promittant? Ubi promissio votum importat, vi cujus se obligant clerici ad continentiam.

Conf. 1. Innocentius III. c. *Cum olim*. 6. de Cleric. conjug. aperte hujus voti mentionem facit, dum inquit: nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia *votum continentiae* non admisit.

Conf. 2. ex Trid. Sess. 24. can. 9. cit. ubi anathema dicit illi, qui dixerit valere hujusmodi matrimonium, *non obstante lege ecclesiastica vel voto*. Cur voti meminisset, si tale non fieret? si vero votum fiat, illud indubie obligabit immediate; cum votum hoc ante se supponat legem ecclesiasticam; ex hac enim tale votum ortum, et ordinibus annexum est. Est igitur ista obligatio ex lege ecclesiastica, sed mediante voto, ac proinde ex hoc immediate.

187. *Nec obstat 1^o.* quod saepe simpliciter dicatur: *Lex continentiae*. 2^o. Qui ordinatur ignorans tale votum esse annexum, tenetur ad continentiam, et tamen talis non facit votum. 3^o. Qui ordinem susciperet, positive nolens vovere, valide ordinaretur, nec teneretur ad servandam continentiam: non enim teneretur vi voti, quia non potest esse votum sine consensu saltem implicito, qui hoc casu non habetur, ob voluntatem positive contrariam, qua non vult vovere. Nec teneretur vi legis ecclesiasticae; quia, juxta dicta, lex non obligat immediate ad continentiam, sed ad emittendum votum. Nam

Ad 1^{um}. R. Sic dicitur, quia votum continentiae est ex lege Ecclesiae.

Ad 2^{um}. R. *Dist. ultimum*. Non facit votum explicite *C.* implicite *N.* Qui enim vult efficaciter officium aliquod, vult hoc ipso implicite ea, quae illi annexa sunt.

Ad 3^{um}. R. Equidem non obligaretur vi voti, quia votum non potest esse

sine consensu saltem implicito, qui hic esse non potest, ubi est positiva voluntas non vovendi; neque etiam vi legis ecclesiasticae ob rationem datam: vi hujus legis tamen obligatur ad votum faciendum, adeo ut peccet tamdiu, donec votum concipiat: item vi legis hujus manet semper ad contrahendum matrimonium inhabilis.

188. *Dico IV.* Recte et omnino convenienter sacris ordinibus continentia ab Ecclesia adjuncta fuit. Contra Novatores haereticos.

Ratio hujus convenientiae est 1^o. sanctitas et dignitas Sacrificii et Mysteriorum novae Legis, ut proinde illa tractari deceat a ministris summa munditia et puritate nitentibus. Unde INNOCENTIUS I. relatus c. *Tenere*, 4. Dist. 31. inquit: *Si praeis temporibus anno vicis suae, de templo Dei sacerdotes non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia Tribu, et praeterquam ex semine Aaron ad sacerdotium nullus accedere praecipiebatur; quanto magis hi sacerdotes, vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent*. Et EPIPHANIUS HæR. 59. propter honorem sacerdotii necessariam sive summe convenientem dicit esse continentiam. 2^o. Si Apostolus 1. ad Cor. 7. velit conjugatos abstinere ad tempus ab usu conjugii, ut vacent orationi; ergo, ut ait HIER. L. 1. cont. Jovinianum relatus c. *si Laicus* 7. Dist. 31., sacerdoti semper carendum est matrimonio, quia huic semper pro populo offerenda sunt sacrificia, et semper orandum est. 3^o. Sunt munia magna et multa sacrorum Christi ministrorum; unde Apostolus eos milites Christi vocat 2. ad Tim. 2. eum volens ut bonum militem Christi non implicari negotiis secularium; sed nihil magis implicat negotiis secularibus, aut a divino ministerio impedit, quam curae conjugales, prolium, familiae domesticæ. 4^o. Quod cura uxoris et prolium obsit curae pauperum, hospitalitati, benignitati.

189. *Obj. I.* Matrimonium est juris naturalis et divini; ergo Ecclesia injuste illud prohibuit clericis. *Prob. Antec.* ex naturali hominum inclinatione, et ex Gen. 1. *Crescite et multiplicamini*.

R. D. Ant. Est juris naturalis et divini permissivi *C.* praecipitivi *subd.* respectu collectionis hominum, ut propagetur, vel conservetur species *C.* respectu singulorum *subd.* pro primis mundi temporibus, quibus replenda erat terra juxta illud *ibid. et replete terram*, et proin paucitas hominum exigebat, ut generarent singuli *C.* pro hac mundi aetate, qua repleta est tellus nec timendus speciei humanae interitus *N.* Ita textum illum Gen. 1. explicat Tertull. L. de Monogamia, Cyprian. L. de habitu Virginitatis, Hieron. L. 1. cont. Jovinian., Augustin. de sancta Virginitate cap. 9. Igitur matrimonium cadit sub praecipitum, quatenus est medium maxime necessarium ad finem a natura intentum, scilicet ad debitam et congruam propagationem, vel conservationem speciei; quod praecipitum indicavit Deus Gen. 1. cit. et 2. *Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adheret uxori suae*. Ex eadem causa erat praecipitum post diluvium. Sed fine hoc sufficienter obtento, cessat esse praecipitum respectu singulorum.

Nimirum sicuti nemo jure naturali, vel divino tenetur ad manducandum, nisi quando urget necessitas conservandi individuum; ita nemo tenetur ad nubendum, nisi quando necessitas urget conservandi speciem.

190. *Inst.* 1. Apostolus 1. ad Tim. 4. doctrinam prohibentium nubere vocat doctrinam dæmoniorum; ergo matrimonium adhuc præceptum est; vel saltem jure divino ita liberum, ut a nemine ulli prohiberi possit. *Conf.* Augustin. L. 2. de morib. Manichæor. cap. 18. ait Manichæos adhuc incidisse in Apostoli sententiam, licet Manichæi non prohibuerint nuptias omnibus, sed solum electis suis, id est, sacerdotibus et monachis; ergo.

R. D. *Ant.* In sensu, quo postea hæretici, ut Tatianistæ, Marcionitæ, Manichæi docturi essent de nuptiis, eas esse malas et prohibitas, ut aiunt Aug. L. 30. cont. Faustum c. 4., Ambros., Chrysost. in illum locum Apostoli C. secus N. Ecclesia vero nuptias non damnat ut malas sicut illi hæretici, nec absolute eas prohibet, sed solum sub conditione libera; liberrimam enim facultatem relinquit omnibus nubendi absolute, et solum exigit, ut ii, qui ordinari, vel ad dignitatem sacri ministri promoveri velint sponte, promittant continentiam. Uti ergo neminem cogit ad sacros ordines, sic neque ante eos ad continentiam: et qui libere sacros ordines suscipit, hoc ipso etiam sponte continentiam amplectitur.

Ad Conf. R. D. Ant. Non prohibebant nuptias omnibus reipsa N. nam universim docebant nuptias esse malas et prohibitas. Non prohibebant omnibus, ita ut nequidem eas in aliis permetterent, et tolerarent C. Non obstante, quod nuptias absolute malas et prohibitas assererent; quando tamen illas impedire non poterant, permittebant, et tolerabant, ait idem Aug. L. cil. c. 6. *Nec ideo vos dicatis non prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes, vel non valentes, salva amicitia toleratis.*

191. *Inst.* 2. cum Calvino. At Apostolus ait id eventurum esse in *novissimis diebus; Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, etc.* Ergo non potest intelligi de Tatianistis, Marcionitis et Manichæis.

R. 1^o. Ergo neque intelligi poterit de lege ecclesiastica, quæ nuptias sacris ministris prohibuit; nam certe quando prohibuit, novissimi dies non erant; neque modo in sensu hæreticorum sunt.

R. 2^o. N. *Cons.* 1. Quia ut probabitur concl. seq., lex continentiae jam ipsorummet Apostolorum tempore emanavit, Apostolus vero loquitur de hæreticis post Apostolorum tempora futuris. 2. Quia *novissimi* dies omnes illi appellantur, qui a Christo sunt usque ad judicium; sic 1. Cor. 10. ait Apostolus: *Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt.* Et 1. Joan. 2. legitur: *Filioli, novissima hora est:* unde juxta Patres, qui vineam adierunt hora novissima, eos denotarunt, qui in lege Evangelica futuri essent in Christi Ecclesia.

192. *Inst.* 3. Apostolus 1. ad Tim. 3. et ad Tit. 1. Episcoporum dotes recensens, vult eligendum esse illum, qui fuerit *unius uxoris vir.* Et præterea ad Hebr. 13. nulla exceptione facta asserit *inter omnes honorabile esse conjugium.* Ergo data supra responsio non est juxta mentem Apostoli.

R. N. *Cons.* Nam verba priora, *unius uxoris vir,* sumenda sunt nega-

tive, non positive, sive, ut Episcopus non sit bigamus, etiam successive; sic enim verba ea semper intellexit Ecclesia, quæ ab initio ideo bigamos tanquam irregulares non admisit ad sacros ordines. Ita quoque illa verba exponit Hier. ad Oceanum, Chrysost. in comment. in locum istum Apostoli, Ambros. cæterique: quin Lutherus ipse in propositionibus de bigamia. Et ratio est, quia Paulus ipse uxorem non habuit, ut manifeste colligitur ex ejus verbis 1. ad Cor. 7. dum inquit: *Volo omnes vos esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Ubi cum non solum ad viduas, sed etiam innuptas loquatur, hasque ipsius exemplum imitari suadeat, plane evincitur, ipsum nunquam nuptias contraxisse; alias dicere potuissent innuptæ: nubemus sicut tu, deinde sicut tu permanebimus. Sed neque Timotheus, neque Titus uxores habuerunt. *Conf.* data expositio: quia ead. ad Tim. 5. vult etiam in diaconissam eligi viduam, *quæ fuerit unius viri uxor,* hoc est quæ unum tantum maritum habuerit.

In altero textu vero Apostolus loquitur de conjugatis, et ad illos, vultque inter eos conjugium esse honorabile in omnibus, hoc est, ut nulla ex parte maculetur, sed sit honorabile tam ex parte fidei, quam sacramenti; subdit enim rationem: *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus;* quam rationem inepte subjungeret, si *honorabile conjugium* non intelligeret in dato sensu.

193. *Inst.* 4. Paulus 1. ad Cor. 9. inquit: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas.* Ergo revera Paulus uxorem habuit; ergo et cæteri Apostoli habuerunt. *Conf.* Ad Philipp. ult. scribit: *Rogo te etiam, Germane compar, adjuva illas, etc.* in græco habetur: *Germania conjux.*

R. 1^o. Etsi totum Calvino concederetur, nihil ipsum juvaret; probandum enim illi est, Apostolos, postquam Apostoli fuere, vel uxores duxisse, vel usos fuisse uxoribus, quas ante duxerant, quod probare nunquam poterit, cum potius contrarium inferri debeat ex Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia;* ad quod respondit Christus: *omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, etc.*

R. 2^o. N. 1^{am}. *seq.* Nam per mulierem sororem non intelligit uxorem sed mulierem, quæ illi tanquam soror non quidem sanguine sed charitate ministraret, ut explicant Patres Græci et Latini, Chrysost., Theodoret., Œcumen., Theophyl., Ambros., Anselm. Igitur de piis illis feminis loquitur, quæ sicuti Christum sequebantur, ita et Apostolos, his ministrando, vel eos suis opibus sustentando.

Ad 2^{am}. seq. R. 1^o. Etsi Apostoli cæteri habuissent uxores, antequam vocarentur a Christo, non tamen ex dictis sequitur illis usos fuisse in Apostolatu, sed contrarium.

R. 2^o. Falsum etiam est omnes Apostolos habuisse uxores, antequam a Christo vocarentur; nam S. Joannem in coelibatu perstitisse totius est Ecclesiæ traditio. E contra S. Petrum habuisse uxorem, constat ex Matth. 8. De reliquis Apostolis contraria sunt Patrum testimonia: negant Tertull. L. de Monogamia, Hieron. L. 1. in Jovinian. E contra affirmat S. Ignatius

M. epist. 6. ad Philadelphios scribens: *sicut... et reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati*. Equidem ibid. etiam S. Paulum nominat; sed illius nomen ab alio additum videtur: non enim legitur in exemplari Oxoniensi Vaticano; nec in alio Mathiæ Corvini Pannoniæ regis, teste Ambrosio Camaldulensi.

Ad Conf. R. Per voces, *germane compar*, significatur alius, qui socius est in eodem onere portando, vox enim græca *σύνυγος* significat eidem jugo alligatum; unde non præcise uxorem denotat. Chrysost. et Theophylactus volunt a Paulo significari maritum alicujus ex feminis ante ab ipso memoratis, nimirum Evodiæ, aut Syntyches. Juxta Theodoretum vero indicatur socius in prædicatione Evangelii. Deinde falsum est in græco haberi determinate *germana conjux*, nam in græco habetur *σύνυγε γνήσιε*; sed *σύνυγος* utrumque articulum *δ* et *ἡ* admittit: si quis vero legere malit *germana*, parum refert; eodem enim sensu tunc explica, quo ante de *muliere sorore* dictum est.

194. *Obj. II.* Saltem licebit clericis uxorem ducere, si post susceptos ordines ipsis periculum sit incontinentiæ propter tentationes; ergo. *Prob. Ant.* ex 1. ad Cor. 7. *propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat*. Et ibid. v. 9. *Si non se continent, nubant; melius enim est nubere, quam uri*.

R. N. Ant. Ad prob. R. Apostolum primo loco loqui de conjugatis, qui cum in paganismo duxissent uxores, post conversionem dubitabant, an iis uti liceret; atque his respondet, ut unusquisque uxorem suam retineret et conjugale debitum redderet. Ita explicant Tertull., Hieron. cit. aliique Patres; et probatur ex contextu; nam v. 5. ait: *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*. Hæc autem solos conjugatos spectant. In secundo loco loquitur ad solutos et eos tantum, qui nullo voto sunt impediti, et his quidem solum suadet matrimonium, non præcipit; ait enim: *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; quibus supponit eos adhuc aliis modis superare posse tentationes, quam præcise matrimonio. Non autem hic ab Apostolo comprehendendi etiam voto obstrictos, patet ex 1. ad Tim. 5. ubi de viduabus, quæ post datam Christo promissionem fidei, sive pactum servandæ continentiæ volebant nubere, dicit: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*.

195. *Inst.* Quid ergo remedii clericis, si post ordines continentiam servare non possint? Ergo necesse est eos perire?

R. 1º. Quid remedii marito, si ob infirmitatem uxoris uti matrimonio non possit, et tamen tentetur incontinentia? Ergo, ne pereat, potest cum alia inire matrimonium, quia Apostolus ait: *propter fornicationem, etc. ? absit*.

R. 2º. Quilibet, si continere se velit, potest, modo debita remedia adhibeat. Oret, sobrietatem colat, pericula fugiat, seminarum conventibus absteat, etc. *Nec patitur Deus nos ultra tentari, quam possimus, juxta Apostolum*. Sic idem Apostolus ob stimulos concupiscentiæ non ideo uxorem duxit,

ne periret; sed rogavit Dominum, a quo audivit: *sufficit tibi gratia mea; nequaquam vero: uxorem ducas*.

196. *Obj. III.* Obligatio servandi continentiam clericis imposita repugnat Ecclesiæ antiquæ; ergo. *Prob. Ant.* Cum Patres Synodi Nicænæ vellent legem ferre, qua clerici majores prohiberentur uti uxoribus ante sacros ordines ductis, dissuasit hoc Paphnutius, teste Sozomeno L. 1. c. 22., Socrates L. 1. c. 11. eo quod *antiqua Ecclesiæ traditio hoc tantum præceperit, ut sacris initiati a nuptiis ineundis absterent*.

R. N. Ant. Ad prob. R. 1º. Historiam Paphnutii cen fabulam rejiciunt Baronius, Bellarminus, Turrianus, Arcudius, Thomassinus; tum quia inter eos, qui Nicæno subscripserunt, Paphnutii nomen nequidem legitur; tum quia opponitur Epiphanio et Hieronymo, quorum primus Hær. 59. (opp. t. 1. p. 496. B.) ait: *sed et adhuc viventem, et liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit Ecclesia, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum et Episcopum, et Hypodiamonum, maxime ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici*. Alter vero in eundem modum loquitur epist. 30. (al. 48.) adversus Jovinianum.

R. 2º. Admissa etiam historia ut vera, Patres Nicæni id solum voluerunt, non esse pœnis animadvertendum in clericos, qui continentiam non servabant cum uxoribus, ex œconomia quadam quasi dissimulando malum, quod invaluerat, cui vix mederi se posse credebant; ne majus malum redderent, si penitus resecare vellent. Illa vero: *antiqua Ecclesiæ consuetudo, etc.* non dixit Paphnutius, sed addidit de suo Socrates. Et, si Paphnutius dixisset, erronee sic dixisset, ut patebit ex sequenti.

197. *Dico V.* Nunquam licitum fuit in Ecclesia latina Episcopis, Presbyteris et Diaconis vel uti uxore ducta ante ordinationem, vel ducere uxorem post ordinationem.

Prob. I. Ex Conciliis. Carthaginense II. anno 390. can. 2. (Labb. t. 2. p. 1259. D.) diserte ait: *Episcopos, Presbyteros ac Diaconos, ita placuit, ut concederent sacrosanctos Antistites, et Dei sacerdotes, nec non et levitas continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Præterea id ejusvis Ecclesiæ Concilia adstruunt. Pro Ecclesia Germanica sunt Concilium Aquisgranense anno 816. (ibid. t. 7. p. 1315. D.), Wormatiense anno 868. (ibid. t. 8. p. 948.), Moguntinum anno 888. (ibid. t. 9. p. 407.) Pro Ecclesia Gallicana Arausicanum I. Arelatense II. Turonense I. et alia. Pro Ecclesia Hispanica Toletanum I. anno 400. Pro Ecclesia Italica Romanum sub Sylvestro I.

Prob. II. Ex summis Pontificibus Sixtus epist. ad Himmerium Tarracoenens. anno 395. narrat, quosdam sacerdotes ac levitas post ordinationem filios ex propriis uxoribus genuisse, se excusantes, quod sacerdotibus et levitis veteris Testamenti id non fuerit prohibitum, excusationem hanc evertit, et dicit (Labb. t. 2. p. 1020. B.): *Sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati et pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora*. Ignoscendum postea inquit illis sacerdotibus et levitis; quia se ex ignorantia lapsos esse fatebantur. S. Leo ad

Anastas. Thessalonic. (epist. 14. al. 84.) c. 4. ait: *ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia, quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse delegitur.* Adde his INNOCENT I. ad Victricium Rothomag., GREGORIUM M. ad Petrum subdiaconum Siciliae. Ante hos omnes vero id pridem tradidit CLEMENS Rom. epist. ad Jacobum fratrem Domini (Labb. t. 1. p. 99. D.): *Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint; quod si post ordinationem ministro altaris contigerit, proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat.*

Prob. III. Ex Patribus. S. AMBROS. L. 1. de Officiis c. ult. (opp. t. 2. part. 1^a. p. 66. C.) *Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore; alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis.* S. AUGUSTINUS L. 1. de adulterin. conjugii cap. 20. n. 22. *Solemus eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam, usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.* S. HIERON. epist. 30. ad Jovin. ubi testatur cap. 19 ipsum Jovinianum hanc legem agnovisse.

Sed hic duo observanda sunt: *Primum* est; non aequè viguisse legem illam pro omnibus ordinibus majoribus; nam subdiaconus non semper et ubique ab ineundo matrimonio prohibitus fuit; tempore enim Urbani I. qui sedit circa annum Christi 266. nondum numerabatur inter ordines sacros, ut observat Innocent. III. cap. *A multis*, de Ætat. et Qualit. Primus, qui subdiaconos ad continentiam adstrinxit, fuit Sylvester in Concil. Rom. II. can. 8. ubi iis prohibet transitum ad nuptias; idemque deinceps ab aliis Pontificibus constitutum est, ut patet ex c. 1. 2. 3. et aliis Dist. 32. Præterea Synodus Ancyranæ diaconis cap. 10. (Labb. t. 1. p. 1459. D.) qui protestabantur se continentiam servare nolle, usum concessit matrimonii, quæ tamen disciplina temporalis non diu duravit.

Secundum est, non, quo tempore prohibitum fuit sacris ministris convolare ad nuptias, statim quoque irritum fuisse consequens matrimonium; neque enim semper in Ecclesia imperata fuit eorum a matrimonio separatio, qui post ordinem sacrum contraxerant; sed aliæ solum pœnæ impositæ sunt. Sic in Synodo Ancyrana cap. 10. loc. citato, qui se nuptiis obligarant, jubentur a ministerio cessare. In Neocæsarensi presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine deponitur (Ibid. p. 1479. E.). In Toletano I. cap. 4. (Ibid. t. 2. p. 1824. B.) subdiaconus, qui defuncta uxore aliam duxerit, deponitur. Qui primus lege universali irritum fecisse matrimonium cognoscitur, communius assignatur Callixtus II. ut refertur c. *Presbyteris*, Dist. 27. ubi vult matrimonia a sacris personis contracta disjungi. Alii Innocentium II. assignant ita statuentem in Conc. Rom. c. 7. ut refertur c. *Ut lex*, Caus. 27. q. 1. ubi separari tales præcipit, dicens: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.*

198. *Dico VI.* Nunquam permissum fuit in Ecclesia græca matrimonium contrahere post susceptos ordines: nec licuit Episcopis et Presbyteris Græcis in primis Ecclesiæ temporibus uxoribus uti ante ordinationem ductis.

Prob. 1^a. p. Ex epist. CLEMENTIS Rom. cit. concl. præced. in cujus fine testatur, se id a Petro Apostolo accepisse; inepte autem dicitur, et sine omni fundamento S. Petrum aliam legem tulisse pro Ecclesia græca, aliam pro latina. Similiter SIRICIUS cit. testatur se antiqua præcepta tradere Apostolorum constitutione instituta; at Apostoli nunquam distinxerunt Græcos a Latinis.

Conf. 1. ex Patribus Græcis. ORIG. hom. 23. in Lib. Numer. (opp. t. 2. p. 368. B. edit. Ruæi.): *Videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti ac perpetuè se devoverit castitati.* Quæ verba, licet non videantur importare strictum præceptum, indicant tamen saltem, quid tunc judicaverint Græci. Deinde S. EPIPHAN. unus ex præcipuis diserte ad canones provocat, ut dictum concl. præc. Et ead. Hær. 59. ita sibi objicit et respondet (opp. t. 1. p. 496. C.): *At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere, et Presbyteros et Diaconos; at non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem.*

Conf. 2. ex Synodo VI. relata can. Si quis 7. d. 32. *Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.* Quæ verba Patres etiam de Ecclesia græca pronunciarunt.

Conf. 3. ex usu et consuetudine Ecclesiæ græcæ, juxta quam etiam irritum est matrimonium clericorum Græcorum post sacros ordines contractum, ut probat Azor p. 1. L. 3. c. 11. q. 5., Pignat., tom. 8. Consult. 81. n. 33. et alii.

Prob. 2^a. p. Ex S. EPIPHANIO; item CLEM. Rom. citat., S. HIERON. epist. 30. ad Pammachium contra Jovinianum, n. 30. ubi ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.* Et initio libri contra Vigilantium: *Quid facient orientis Ecclesiæ, Ægypti, et sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistant?*

At ab hac lege discessit Ecclesia græca, saltem a tempore Synodi Quini-Sextæ, sive Trullanæ, ubi can. 13. (Labb. t. 6. p. 1148. B. C.) permittitur, non quidem Episcopis, sed Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis uti suis uxoribus antea ductis, excepto tempore vicis suæ. Licet vero nunquam approbatum fuerit, quod cit. can. damnata fuerit a Patribus Trullanis lex continentiae, quam servari volebat Ecclesia Romana; sicut multa sunt in canonibus dictæ Synodi, quæ non approbata sunt a summo Pontifice; tamen non improbatum fuit, quod cit. can. sacris ministris permittat suis uti uxoribus, ut colligitur ex cap. *Aliter*, Dist. 31. et cap. *Cum olim*, de Clericis conjug.

Neque mos ille in Concilio Lugdunensi, aut Florentino reprehensus est. Utrum vero ante Synodum Trullanam jam mos ille viguerit inter Græcos, ut quidam putant, non patet: affertur quidem can. 78. Concilii Nicæni ex Arabico; sed canones Nicæni præter viginti, valde incerti sunt, ut observant Baronius, et Spondanus ad ann. 325. Affertur et historia Paphnutii, de qua supra object. 3. sed etiam hæc dubiæ fidei est juxta dicta ibidem.